

**TEMPLVM IANI**  
**SEMPER CLAVSVM**  
**PRO - CONSVLE**  
**MDCCLVII. D. XXII. MART.**  
**DIVINITVS ELECTO**  
**IOANNE IACOBO**  
**MOLLERO**  
**VIRO MAGNIFICO**  
**AC STRENVO**  
**TOGA ET SAGO NOBILI**  
**ELBINGAE**  
**DVLCI PATRIAE**  
**VOVET PRECATVR**  
**NVNTIVS PACIS IN MONTIVS.**

\* \* \*

**I**nter tot innumera et splendida, quae superstitione Romanorum pagana Diis suis sacra esse voluit aedificia, antiquitate pariter ac structura eminent TEM-PLVM IANO dicatum. Portentosum, quod in eo colebant, simulacrum, nomen ab *ἰάνος*, hiatu sive detracta aspiratione adeptum fuisse Solisque mysticum emblema extitisse, eruditi quidam antiquitatum romanarum arbitri iudicant. Soli enim qui, ut Cicero scribit, astrorum obtinet principatum, et ab eodem moderator et dux temporum appellatur, januae celestis honorem tribuerunt, quam ex oriens aperiat, occidens claudat. *Cic.* de Nat. Deor. L. II. Hinc et bifrons Ianus, erat duabus praeditus faciebus, altera ante, altera a tergo, eo, quod annus a se initium faciens, fini occurrat. *Macrobius* Saturnal. Libr. I. C. 9. Una manu Sceptrum, altera clauem gessisse fertur, symboli loco, quod diem regat, eumque mane referat, vesperi recludat. Hac de causa quoque anni initia, Iano sacra, ab eo appellari consueverunt, postquam Numa Pompilius primum anni mensem bicipiti Deo, tanquam respicienti et prospicienti transacti anni finem, futuriq; principia, sacrum esse iussit. Alii eum quadrifrontem statuunt, ob quatuor orbis cardines: *Augustinus* de Civit. Dei L. VII. Cap. 8. aut quatuor anni tempora. *Servius* ad Virgil. Aeneid. L. VII. v. 607. Si habenda aliis fides est, Romani in Hetruria quadrifrontis Iani simulacrum inuenerunt, unde templo eius quatuor portae factae. *Serv.* l. c. Quomodo manu erecta digitorum artificiali compositione 365 dies anni monstrauerit, id *Plinius* describit Hist. Nat. L. XXXIII. C. 7. Ianum etiam Iunonium, quasi Calendarum Principem, vocitarunt; Calendae enim sunt, teste *Macrobio* l. c. Iunoni dicatae. Emunctioris naris Philologi Fanum Iani et Statuam ejus, a Iano, antiquissimo Italiae Rege, originem duxisse perhibent. *Abel.* in histor. Monarchiar. L. II. C. I. § 5. Hic Saturnum a filio fugatum e Creta, Classeque in Italia aduectum, excepit hospitio, et quoniam ab eodem agri culturam edoctus est, regni partem illi concedens ambo una regnarunt concordēs. Romani hunc Ianum omnibus januis praesse statuerunt, unde et clavigerum finxerunt. *Ovidius* ab ipsa janua eum appellatum sumit Fast. L. I. v. 127. *Festus* L. III. p. m. 1140. graecum *ἰάνος* occasionem dedisse appellationi censet, seu verbum *ἰάνω*; a quo et illud deriuant; quia ab eo rerum initia veniant. *Ovid.* Fast. L. I. v. 103. *Vossius* in Etymolog. in *Ianua* ab hebraico *יָנוּ* quod vinum significat, Iani nomen venire iubet. Cui contradicit *Abel* in hist. mon. L. II. C. 2. § 5. Sed *Cluverius* vix audendus erit, dum ab hebraico *יָנוּ* nomen sortitum tradit in Germ. ant. L. I. C. 26.

Quo tempore huic Iani templo prima fundamenta jacta sint, nondum extra alcae dubium positum est. Quidam habent, Romulo contra Sabinos pugnante, cum jam prope vinceretur, calidam aquam ex eodem loco erupisse, quae fugauit exercitum Sabinorum. *Macrobius* l. c. Cap. 19. Libr. I. Indequē morem tractum, ut pugnaturi aperirent templum, isti loco memorabili superstructum, quasi ad spem pristini auxilii. Alii credunt, Tacium et Romulum, facto foedere, id aedificasse, unde et Ianus ipse duas facies habeat, ut ostendat duorum regum conjunctionem. Vix pagina caperet haec tot, quot de Iani historia et cultu passim ventilarunt sententias tam veteres scriptores, quam Critici recentiores. Si, quod omnium fere calculo confirmatur, verae historiae fictionibus istis inuolutae sint virorum generis nobilitate et rerum gestarum magnitudine clarorum, aut omnis generis veritates et inuenta sublimia utiliaque lateant sub harum imaginum umbris: dubium est nullum, quin Ianus fuerit aut antiquitatis heros quidam, aut nobilibus factis aliis, generi humano utilissimis celebratus. Sed quis sit, id est, de quo a se inuicem longe abeuntes disputant, qui de eo memoriae prodiderunt. Quidam Anubim, aut Apollinem Didymaeum, alii Iouem, Martem aut Mercurium, ipsum denique Vertumnum eum fuisse tradiderunt, ut passim in Demonstrat. Euangel. refert *Huetius*. Singularis autem est, et memoratu omnino digna videtur opinio eorum, qui Ianum bifrontem Noachi imaginem et historiam retulisse contendunt, et satis probabilem coniecturam reddunt, ut videre est in *Alstedii* Compendio Chronologico p. 1500. 1514. Nec desunt, qui Iaphetum, Noachi filium, quem Europam primum petiisse cum familia sua, ferunt, intelligi debere arbitrantur, utpote qui, pariter ac pater, fatorum antediluuiarum et postdiluuiarum testis fuit oculatus, utriusque mundi, quem utraque facies referret respiciens, in-

incola. De qua opinione prolixius egit *Vossius* in Theologia Gentilium Cap. 18. Libri I. Erat autem hoc templum in monte Argileto, ab Argi, Argiuorum Ducis, tumulo ita dicto, constructum; mons vero propinquus ab eo Ianiculus dictus, ubi mercatores frequenter conveniebant, sua tractaturi negotia, quibus Ambigua Iani facies adaequatum et hieroglyphicum, prudentiae et solertiae signum existebat, quo et praeterita cognoscenda et futura prospicienda sunt. Quin pro verisimili habeam, Iani idolum bifrons, ad proelium ituris pro incitamento positum fuisse, quo non tantum certiores redderentur de fortissimo Numinis in periculis praesentibus auxilio, sed etiam Spe erigerentur dulcissima, fore, ut triumphum canant, et gloria macti praeda denique locupletati in patriam, dulce solum, revertantur. Inde quoque institutum maiorum originem duxisse videtur, quo belli tempore sanum patebat; tempore autem pacis claudatur, indicis loco, populos esse pacatos, et pacem post diuturna et difficilia bella profligata, terra marique redditam. Plura templa in honorem Iani, qui patrius Romanis Deus erat, Graecis ignotus, teste *Ovidio* Fast. L. I. v. 90. Romae constructa fuisse, a Duillo in foro olitorio unum, alium ab Augusto in foro Romano, ab Horatio denique aedem excitatam, quae Iani Curiatii nomen gessit, ex antiquitatis monumentis liquet. *Freinshem. Supplem. Livian. L. XVII. C. 27. Macrobi. Sat. L. I. C. 19.* Constat autem ex *Svetonio in Vita Augusti* Cap. XXII. Templum hoc ter tantummodo fuisse clausum. Primum regnante Numa, iterum post bellum Punicum secundum, tertio post bella Actiaca, quae confecit Augustus Caesar. Novimus, disputatum esse, inter Viros celeberrimos, an tertia et ultima vice hoc templum tempore nativitatis IESU CHRISTI, Principis pacis, orbe per pacato, clausum fuerit? cuius rei Illustris P. D. *Huetius* in *Demonstrat. Evangelica* p. 730. *Henr. Norisius* Princ. R. E. purpuratus, *Casaubonus*, *Bynaeus* et alii eruditionis gloria Viri per celebres affirmativam tenent; ast negativam solidissimis ex vetustis codicibus et nummis tuetur praecellenti rerum sacrarum doctrina praeditus Lipsiensium Antistes (vov év ἀγίας) *Salomo Deylingius* Observat. Sacr. P. V. p. 149. sq. et rationibus haud vulgaribus demonstrat, anno quidem, ante Christum natum aerae vulgaris decimo, ab Augusto Caes. repressa Dacorum et Dalmatarum rebellione, cum Druso et Tiberio Romam reverso, clausum; proximo autem anno rursus reclusum et toto reliquo Augusti Imperio ob bella maximi momenti, in Germania, Pannonia et Dalmatia saevientia, nec unquam quarta vice oclusum fuisse.

Ab hoc TEMPLUM IANI plane diversum erat TEMPLUM PACIS, quod demum Vespasiani temporibus constructum, magno in incendio, quod Romam flagrauit, tempore Eleutherii, Episcopi Romani, igne corruit. Templum enim Iani, utpote quod per Saecula apertum steterat, belli potius quam pacis sanum dicendum esse videtur.

Facile augurari poteris pro eruditione et prudentia TVA, MAGNIFICE PRAE-CONSVL, quo brevis haec mea tendat praefatio. Alma, que est Supremi Numinis et in Officiis publicis summisque admiranda providentia ac vocatio, TIBI hodie ex concordia SENATUS ELBINGENSIS POPVLIQ; suffragio Sceptrum Praeconsulare solenniter tradidit. Huic honori et dignitati longaeva vita beati AVI et PARENTIS data fuisse non videtur. PRAENOBILE MAGISTRATUS COLLEGIVM, omnes iustitiae et sapientiae Cultores, tota civium Cohors, firmiori augurio excitata, de felici hac et ex voto acta electione, sibi maxime gratulantur, et exoptatissimum Rerum ELBINGENSIVM Successum optimo jure concipiunt. Inter quos etiam ego, tot tantisque beneficiis obstrictus, non minorem de TE, gubernacula ECCLESIAE NOSTRAE, cum ILVSTRI LANGIO, tenente, laetitiam sentio, et incredibilem voluptatem ex ea re percipio, ut facere non possim, quin lineis hisce, aliquale officii mei et grati animi documentum publicae luci exponam. Non solum consanguinitatis vincula, non modo cura salutis meae, quam TIBI semper commendatam habuisti, non animi propensio tantum, quam in me, vel erudiendo, vel ornando declarasti; postulant, ut hac occasione devotae TIBI mentis tesseram tradam, sed temporis ratio, quo ad gubernacula Elbingae proventus es, vota ex me et omnibus bonis, civibus denique cunctis, reipublicae bene cupientibus, pro vita et longaevitate TVA premit integerrima. Ah! concussa videtur dissensionibus funestissimis Germania, ardent bello fertilissimae provinciae duro et exitioso, et calamitates in fines patriae nostrae haud obscure se infundunt. Turbulentae tempestatis asperitas in vicinia saeviens nos terret, et futurorum casum metus omnium animos implet et excruciare coepit. Bella perinde ac incendia raro

ibi consistunt, ubi oriuntur; sed latius se plerumque diffundunt, et per proximas regiones errant ac divagantur. Incertos esse belli exitus novimus, et casus repentinos, Martemque communem non immerito reformidamus. Formidinem augent peccata nostra, quae instrumenta bellorum et faces et tubae sunt, poenasque divinitus immittas alunt augentve. In haec tempora TE, summus rerum Arbiter, PRAE-CONSVLEM reservavit.

Nos, ut tanti muneris, in praesens perfruamur larga copia, id, quae DEI est gratia, AVGVSTISSIMI REGIS NOSTRI, effecit vigilantia, ac incredibile calamitatum a subditis amoliendarum studium et paterni denique amoris, quo flagrat, affectus. Multoties in Romanorum nummis legitur PAX AVGVSTA, sive PAX AVGVSTI, quam nempe orbi Romano praestiterunt eiusdem Principes et Imperatores. O utinam CIVITAS ELBINGENSIS inter tot bellorum strepitus, TE PRAE-CONSVLE, vigeat, floreat, sit salua, PACE AVGVSTI!

Romanorum Caesari huius Nominis id honoris et felicitatis configit, ut templum Iani post praelia et bella gloriosa oblerare potuerit. O velit Rex Regum hoc FRIDERICO NOSTRO AVGVSTO benignissime largiri, ut, confectis extinctisque dissensionum scintillis, perpetua et firma sanciantur pax et amicitia, et templo Iani clauso, jubila canantur laeta et altum in domiciliis Iehovae audiatur Hallelujah, pax in terris!

Maximus Univerſi Moderatur sit nostrae PATRIAE, ECCLESIAE, INCLITO SENATVS COLLEGIO, urbi et territorio fortis Protector et murus igneus. Tu vero, MAECENAS, sis, precamur, lectissimum illud in manu DEI instrumentum, spiritu sapientiae et fortitudinis roboratum, quo tam omnes intestinas contentiones frangat, quam pericula ab hostium Reipublicae invasionibus metuenda avertat. Secundet omnia TVA Consilia, et eoceptis TVIS annuat, ut exoptatus semper euentus, negotiis arduis in reipublicae patriae, ad cuius gubernacula sedes, salutem suscepturis coronidem imponat, firmet augeatque corporis animique vires, quae gravissimis laboribus sufficiant, TVAMQVE vitam, multis accumulata bonis, ad eam, quae canis adspersitur tota, aetatem producat.

*Tranquillus* apud *Svetonium* in Vita Augusti Cap. XXII. refert: Templum Iani Romae *T. Manlio Torquato et M. Attilio Balbo Coss.* terra marique pace parta, clausum fuisse. O felicia secula! Clausum quidem est adhuc, quae DEI est gratia, templum belli in Elbinga nostra. Summa fruimur intestina et externa pace, nec tinnitus tubarum bellicarum ac tonitru sclopetarum nos terret. Dormiunt ciues, clausis urbis ianuis, quiete, et vigilantes, secure res suas, domi et foris, agere possunt. Quis vero rebus sic stantibus non quotidie intret pacis templa christianorum, et Regem pacis supremum precibus obtestetur ardentissimis: *Da pacem, Domine, diebus nostris!*

Fundamus, Ciues, vota, ut exoptata nobis pax maneat illaesa, et tandem ima posteritas in fastis Elbingensium haec aurea legat verba:

Dn. Dn. Dn. Dn.  
CAROLO CHRISTIANO LANGIO,  
DANIELE FVCHSIO,  
SAMVELE ROGGIO,  
IOANNE IACOBO MOLLERO,

PRAE-CONSVLIBVS,  
*Templum Iani*  
*Elbingae Borussorum*  
*clausum fuit.*

